

No. 271. 1286. 7. Sept.

Die Bischöfe Withego zu Meissen, Heinrich zu Merseburg und Bruno zu Naumburg einigen sich zu gleichmässiger Bestrafung derer, welche Geistliche und kirchliche Anstalten schädigen, und zu gegenseitiger Vollziehung der ausgesprochenen kirchlichen Strafen innerhalb ihrer Diöcesen.

In nomine domini amen. Nos Withego dei gratia Misnensis, Henricus Merseburgensis, Bruno Nuenburgensis episcopi recognoscimus ac tenore praesentium protestamur, quod ad succurrendum pressuris tam nobis quam clero et religiosis cuiuscumque ordinis exemptis et non exemptis ex hominum malitia imminentibus in hoc convenimus et tenore praesentium nos mutuo obligamus, quod sententias tam auctoritate ordinaria a nobis latas, quam statuta domini Gwidonis cardinalis, sedis apostolicae legati et Magdeburgensis concilii in invicem exsequemur, et praeterea quae in praemissis conciliis de captivitate episcoporum et clericorum continentur, hoc in nostris diocesibus volumus observari, videlicet quod filii captivantium episcopos vel clericos inhabiles sint ad beneficia et sacros ordines obtinendos, nec ipsorum filiae in aliquo collegio sanctimonialium admittantur. Abbates quoque, abbatissae, praepositi et conventus contra hanc inhibitionem nostram venientes, per sententiam quam ferimus in his scriptis tam diu a divinis noverint se suspensos, donec eiiciant sic receptos. De incendiariis autem et invasoribus ecclesiarum et cimiteriorum, quae quidem ecclesiae et cimiteria non solum pro salute mortuorum, sed ut etiam vivi pacis in eis refugium inveniunt, consecrantur, sic observari volumus, ut qui surrexerit in rapinam ecclesiae vel coemiterii, nisi ablata restituat, vel emendandi firmam et plenam praestiterit securitatem, poenitentiae beneficium ei penitus denegetur et singulis diebus dominicis, pulsatis campanis et incensis candelis excommunicatus publice nuntietur. Et si obstinata mente usque ad mortem perseveraverit, ecclesiastica careat sepultura, nisi sub testimonio plebani et aliorum trium dampna restauraverit universa. Si qui vero clerici tales ad sepulturam receperint, aut eorum sepulturae interfuerint, vel ipsorum elemosynas receperint, ordinis sui dampnum irrecoverabiliter patiantur et ipso facto suis beneficiis sint privati. Et quia ea, quae praemissa sunt, de praelatorum et capitulorum nostrorum processerunt consensu, praesens scriptum tam nostris quam iam dictorum capitulorum nostrorum sigillis fecimus communiri. Actum et datum Nuenburch anno domini M^o. CC^o. LXXXVI^o. in vigilia nativitatis beatae virginis.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen. An Pergamentstreifen hängen die Siegel der Bischöfe Withego von Meissen, Heinrich von Merseburg und Bruno von Naumburg, so wie die Siegel der Capitel von Naumburg, Merseburg und Meissen.

Labbé concil. XIV. p. 1017. — Lünig Reichsarchiv spicil. eccl. cont. II. p. 259. — Calles series epp. Misn. p. 198. — Hartzheim concil. Germ. III. p. 683.